

U.M.
RUM
E
ÉINZIA
UM

**DIVITIARUM
EVANGELICARUM**

Disquisitio XXXV.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

DAVIDE SCHWEMLERO;

Grimmâ Myso.

Dominica IV. post Trinitatis.

A. O. R. cl. Ic. III.

HALLIS SAXONUM

Prelo Hæredum Melchioris Oel-

schlegeli

VOBIS VESTRAE GLORIAE
Viri Reverendi admodum, Excellentissimi,
Clarissimi, multoque rerum
usu gravissimi

Dn. ANDREAS Rennah / S. S. Theol. Doctor.
Celeberrime, Grimmensium viciniorum
Superintendens Dignissime, Favitor.
Magne, omniq; obsequioso officiorum
cultu etatem devenrande.

Dn. CHRISTIANE Sunderman / Quæsturæ
Elect. Saxon. Praefecte in arce Grim-
mensi Eximie, & Illustriß. Elect. Saxon.
Commissarie Spectatissime, Patrone
certissime, omniq; animi religione pro-
sequende.

Dn. M. DAVID Schwemler Ecclesiæ Wi-
ensis Pastor primarie & Inspector vigi-
lantissime, Patrue omnis generis cultu
filiali prosequende.

Dn. FRIDERICE Sundermann. Quæsturæ
Elect. Sax. Sceitizensis Praefecte Opti-
me, Evergeta observanter colende.

Mecœnates Magni hoc ἀστη-
μα in observantię θεμήριον,
benevolentięq; ὁρμητήριον
dedicat

RESPONDENS.

THESSALONICENSIS
CENSUS
ANNO MDCCLXVII
MAYO

ANALYSIS
EVANGELII
DOMINICA IV. POST TRI-
NITATIS.

Luc. 6. à v. 36. usq; ad 43.

ANTELOGIUM.

Icit Spiritus S. ad Hebr. 13, 16.
beneficentie & communicationis
ne obliviscamini ; talibus enim
hostiis delectatur Deus. Ideoq;
studium bonorum operum non est a Δαφορινεύ
& liberum, sed omnino necessarium : quia uti
victimæ in V.T. ex mandato offerebantur, ita
etiam bona opera, cum simus ad ea creati;
Ephes. 2, 10. immo uti illa hostia non grata;
quam Deus nō mandavit Lev. 22, 18. Es. 1, 12.
sic nec fides accepta, quæ non opera in se habet
bona, sed mortua est, Jac. 2, 1. Quomodo vero
illa

*illa bona opera sint exercenda, proponitur in
pericope Evangelica.*

THESES I.

IN quâ Christianæ regulæ tûm vitæ secundum interna, & est commiseratio v. 36. in quo ostendit Evangelista præceptum: estote ergo misericordes. *Ubi conjunctio rationalis ergo rationem mandati innuit: quia antea de diligendis inimicis & operibus charitatis differuit; ideoq; misericordiam commendat, & per synecdoch. speciei pro genere omnia opera caritatis & benignitatis intelligit.* Est verò misericordia alienæ miseria quedam in nostro corpore compassio, quâ utiq; subveniri si velimus, compellimur. Servit autem motus seu affectus iste rationi, quando ita præbetur misericordia, ut justitia conservetur, siue cum indigenti succurritur, siue cum ignoscitur petenti, habet August. de Civ. Dei, l. 9. c. 5. Et est misericordia, habet Isidorus Hispalens. affectus cordis, quò compellimur, ut miseriis benefaciamus, ut compatiamur proximo, & largiamur de proprio. Vrget Christus hanc principalem virtutē propter traditiones

Pha-

Phariseorum traditiones, quas præferebant
charitati & amori Esa. 6, 11. placet quod Deo magis,
quam victimæ Matth. 9, 13. habet promis-
siones premiorum Proverb. 3, 3. & commina-
tiones pœnarum Jec. 2, 2. Continentur autem
hoc versu:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, cō-
quoad corporalia. Quoad spiritualia: (do.
Consule, castigo, solare, remitte, fer, ora.

Nempe I. Matth. 25, 35. II. Matth. 10, 42.
III. Esa. 58, 2. IV. Syr. 4, 9. V. Tob. 4, 18.
VI. Ebr. 13, 2. VII. Tob. 1, 120. VIII. Ps. 51,
4. IX. Galt. 5, 1. X. Eſ. 9, 4. XI. Matth. 18, 15.
XII. I. Corinth. 5, 14. XIII. I. Tit. 2, 1.

2. Tùm modū à comparatione simil sicut
& Pater vester misericors est. Filiorum enim
est premere vestigia parentum. Ideoque cùm
nos velimus esse filij Dei, oportet quod nos esse mi-
sericordes. Docet itaque argo ducto à merce-
de, quod similes fiamus Deo, si simus misericor-
des, habet Theophyl. in Luc. Non quidem
pro æqualitate sicut hoc loco ponitur, sed pro
similitudine, ut habet Ericus in homiliario
non est iustuso, sicut Joh. 5, 21. sed ò quo iustuso
ut Joh. 12, 11. sumitur. Ut exerceamus
misericordiam erga omnes: uti Deus sinit solem
sum oriri Matth. 5, 46. Ita tamen diligendi

junt homines; habet August. in sentent. sent.
2. ut eorum non diligentur errores, quia aliud
est amare, quod facti sunt, aliud odiisse quod
faciunt. Qui enim intempestivâ lenitate, vel
sapiens quam necesse, vel etiam semper ignoscit,
is plane & illorum vitam perdit, quorum au-
daciā ad facinora majora nutrit, & sibi ipsi
eternam molestiarum materiam submini-
strat, habet Lactant. c. 18. de ira Dei.

3. Secundūm externa respectu oris, ne
sit condemnatio vers. 32. in quo prohibi-
tive respectu iudicationis, ubi interdi-
ctum; nolite judicare. In antecedentibus
enim cor Christus instruxit: cum autem ne-
mo nostrum cor inspicere possit, & ex cordis
abundantiā osloquatur, Matth. 10, 12. Ergo
pergit ad lingua eamq; optat pacificam.
Ideoq; dixit: nolite judicare. Ubi non prohi-
bentur iudicia publica & ordinaria; quia
Deus ipse ea instituit Deut. 19, 18. nec sunt ho-
minis, sed illius Dei 2. Cor. 9, 16. sed temeta-
ria & privata, & prater necessitatem, de qui-
bus etiam agit Paulus 1. Cor. 6, 17. Unde in-
quit August. serm. 202. de tempore, quid
est hoc, fratres: cum ipse Dominus in alio Eu-
angelio dixerit Joh. 7, 20. nolite secundūm
faciem judicare, sed iustum iudicium judica-
te, &

te, & aperta mala iudicari & argui debent? Illa verò quæ ignoramus, & utrum bono vel malo animo siant, scire non possumus, iudicare penitus non debemus. Vidisti alterum subditis suis cum severitate disciplinam imponere, & indulgentiam tardius dare? noli crudelem eum iudicare, quia forsitan hoc non facit morbo iracundia, sed zelo disciplina & amore iustitiae. Fortè aliquis vicinus tuus, dum animū suum habet in rebus satis necessariis occupatum, tardius te salutarit, aut tardius occurrerit, quam debuit; noli iudicare eum superbū, noli malignum credere; sed magis hoc aut per oblivionem, aut per negligentiam, quam per despectum aut superbiam factum crede; quia fortè & tibi, ut est humana fragilitas, frequenter evenit, ut in aliis rebus nimium intentus, aliquid minus cautè ac minus sollicitè fecisse videaris, & tamen noluisti te pro hac re malo animo iudicari. De ipsis ergo, quæ sunt Deo nota, & nobis incognita periculose nostros proximos iudicamus. De illis verò, quæ aperta sunt, & publica mala, iudicare. & redarguere, cum amore tamen, & possimus. Et debemus, odio habentes non hominem, sed peccatum, non viciosum, sed vitium, detestantes morbum patius quam agrotum. Non au-

rem omnibus istius rei abstulit potestatem, sed
his, qui cum flagitiis implcantur innumeris,
alios de levissimis debitibus ob temeritatem con-
demnant, habet Hilar. c. 5. Matth. quia qui in
aliorum peccata curiosè inquirit, aut suspicio-
ne adductus fratrem judicat, nondum resipis-
centia fecit initium; neq; scrutationis, quā co-
gnoscat sua ipsius flagitia, in veritate longè gra-
viora, quam plumbum multi ponderis. Neq;
nouit unde homo consequatur cordis duriti-
em, amans vanitatem, & querens mendaci-
um. Propter hoc tanquam insipiens & intene-
bris ambulans suis peccatis neglectis aliorum
peccata imaginatur, aut ea, quae sunt, aut que
falsa suspicione esse putantur, habet Maximus
in sentent. 55. ob quæ sanè cœlum obstupuit &
terra inhorruit; ipsi autem sensu privati non
erubescunt, ait idem sent. 54. cent. 3. Paucis,
ait Augustinus lib. de ovibus, cap. 5. disci-
plina exerceatur, iudicium non precipitetur.

4. Et quoad effectum à pari: & non ju-
dicabimini. Hoc est, in quā voluntate judi-
caveritis, etiam judicabimi. Et contra, in qua
voluntate non judicaveritis, in eâ etiam non
judicabimini. Unde non iniquum est, ut in
quo judicat, in eo judicetur, b. e. ut in ipso ani-
mis sui iudicio pœnas luit, cùm ea mala pati-

tur.

eur, qua malè judicantem animū consequuntur, habet August. epist. 49. quæst. 4.

5. Respectu damnationis, ubi iterum interdictum: nolite condemnare. Nimirum etiam aperte habet quoad privatum judicium ex defectu certitudinis, ex defectu autoritatis, & ex defectu propria bonitatis desumptum; sed potius eorum conversionem exspectate & orate, quoniam fortassis cras aut post cras erit bonus. Stultissim⁹ itaq; quisquis esset, qui condemnasset Mariam Magdalenam, habet Ardens. Quid enim, quæso, ait Theophyl. in Luc. quare condemnas alium, ut prævaricantem divinas leges? An non & tu prævaricaris divinam legem? ut taceam de aliis peccatis, certè in illo ipso, quod alios judicas, peccas. Etenim divina lex præcipit tibi, ne judices fratrem. Et ita tu prævaricaris legem, & cum prævaricator es, non debes judicare alium, ut prævaricatorem; judicem enim superiorem esse oportet naturæ peccante. Non autem prohibetur doctrinæ falsæ damnatio Matt. 17.15. neq; potest as clavium Matth. 18,18. Joh. 20, 23. nec damnatio politici magistratus, cum Deus ipse istud absq; commiseratione fieri debere præceperit Deut. 19.13. Exod. 22,18. eiq; gladium tradiderit 1.Perr. 2,14, Neq; juvat.

exemplum Christi de adulteria Joh. 8, 10. Cum Christi officium in his terris nō fuerit iudicare homines, sed salvare. Unde etiam ait: abi, & noli peccare, emendavit ream, crimen non absulit, habet Augustin. serm. 47. de verb. Domin. Inde Anathematismi non sunt prohibiti, hoc est, disertis verbis indicare, quod talis doctrina sit falsa, verbo Dei contraria; ita enim loquitur Chrysost. de anathematit. Dogmata impia & ab hereticis profecta arguere & anathematizare oportet; hominibus autem varcendum, & pro salute ipsorum orandum. Sic Christus damnavit Pharisaeos Matth. 23, 13. illorum doctrinam Matth. 16, 12. instram Matth. 5, 20. Paulus Satana tradidit Alexandrum 1. Tim. 1, 20. anathema aliud Evangelium annuncianti dixit Gal. 1, 18.

6. Et effectum à pari: non condemnabimini; In similibus enim simile iudicium. Neque enim illum condemnas, ait Chrysost. homil. 34. in cap. 7. Matth. sed temet ipsum condemnas, & facis tibi terribilius esse iudicium, cogisq; adversus te diligentissimam fieri etiam de minimis ultiōnem.

7. Positivè quo ad preceptum: remittite. Seu absolvite: quo privatarum offenditum, quibus nos proximus fesi, condonatio-

nem,

wem ex remissionem peccatorum nobis mandat; sive sit amicus sive notus, sive inimicus aut ignotus. Sic remisit culpam fratribus Joseph Gen. 45, 5. sic David Simei 2. Sam. 29, 23.

8. Et effectum à pari: & remittetur vobis; Qualem enim cupis erga te esse Deum, talis es tu ipse conservo tuo, habet August. voluit enim Deus te esse debitorem, ut habeas debitorem. Peccando quippe inimicum te facis Deo; sed attende, ne foris tu habeas inimicum. dimittit & dimittetur tibi. Non quasi remissio nostra sit causa remissionis peccatorū, sed tantum conditio, quam Deus à nobis requirit, quæ ejusmodi est, ut vera fidei semper adsit. Non enim vera fides, ubi odium implacabile, ira, invidia, vindictæ cupiditas adversus proximum: His namq; qui indulget, non est ex Deo, sed damnatur & excluditur à regno Dei Gal. 5, 20. uti & in oratione dominica sicut non causam denotat, sed obligacionem. Deniq; sermo non ad justificandos, sed ad iustificatos pertinet Gal. 5, 10. Et ille dat facile veniam, cui opus est venia, habet Seneca in Agamemnone Act. 2. sc. I. Ac potissimum quidem, ait Nazianz. orat. 49. in Julian. 2. nos humanitatis ratio adignoscendum adducat, visq; mandati divini, eandem nobis

humanitatem in iis rebus, in quibus ea opus
habemus, remetiens.

9. Tum de opere, & est eleemosynarum
prestatio v. 38. in quo mandatum in gene-
re. DATE. Quo verbo liberalitatem & be-
neficiam erga egenos præcipit, uti etiam
alibi Sir. 3,33. Prov. 5,16. ibidem omnes intelli-
git, etiam pauperes, Tob. 4,7. exemplo vidua
allius Marc. 12,12. qui pauca habent, & ma-
nibus vicium querunt Eph. 4, 28. Omnibus
igitur dandum est, imprimis fidei sociis Gal.
6,19. Es. 58,12. Proverb. 14,21. prater validis
mendicantibus 2. Thess. 3,12. seipso pascentib.
Judæ v. 12. dandum non est; eleemosyna enim
ad necessitatem, & non ad pigritiam dantur,
habet Augustinus lib. de bonis operib. Mo-
nachor. cap. 15. ut sint auxilium in adversis,
consilium in periculis, suicidium in paucis.
Et quidem de fontibus nostris Prov. 3,17. de
laboribus manuum nostrarum 1. Petr. 3. non
de fœnore & usuris August. serm. de divit.
dandumq; est egenti, non ut alius fiat afflictio.
& nobis remissio 1. Corinth. 13,13. ex simplici-
tate Rom. 12,18. ex fide Rom. 4,14. ita ut
non defatigemur Gal. 6,19. non ad ostentatio-
nem, Matth. 6,2. non ut pauperem trahas in
servitutem Sir. 29,11. sed propter Dei manda-.

rum,

etum, & propter inopiam pauperis. Siquidem Dominus doctor vitæ nostræ & magister salutis æternæ inter sua præcepta cœlestia nihil crebris mandat, quam ut dem⁹ pauperibus, habet Cyprian. serm. i. de eleemosyn.

10. Et effectum à pari; & dabitur vobis. Ita retributio erit in hoc seculo Matth. 10,30. quia Deum profelicitate nostrâ pauperes interpellant 2. Cor. 9,12. Mete ergo, ait Ambros. serm. 81. uberes pecunia tua fructus orationes dico pauperum, intercessionesq; sanctorum, qui pro te, officiorum tuorum memor res apud justum judicem Deum dignis operum tuorum allegationibus postulent. Deinde bonorum temporalium proventum augent; qui dat pauperibus nunquam egebit, Prov. 28,27. ditior erit Proverb. ii. 24, exemplo Saæ reptanae i. Reg. 17,15. Tobiae Tob. i,13. Jobi Job. 42,10. III. Dignitatis collatio Psal. 112, 19. El. 58,8. unde Chrysost. homil. 33. ad popul. Antioch. melius est hanc artem dandi eleemosynam scire, quam esse regem & diademate coronari. IV. Pœne temporalis liberatione Tob. 4,11. Proverb. 16,8. Dan. 4,24. misericordia quippe & fide peccata purgantur, habet Nazianz. orat. 27. de amore pauper. V. Facilis mortis impetratio. Psal. 41,1. Tob.

124

4, 14. unde August. lib. 50. homil. 39. Tamen etiam in futuro seculo erit commendatio Matth. 19, 21. non à priori, ut à causis. sed posteriori, ut ab effectis; non enim sinit nos elemosyna eò decidere, ubi dives ille epulo Christus. Unde est beatus dare quam accipere Actor. 20, 25.

II. In specie, quoad modum, respectu qualitatis: mensuram bonam. Quæ verba allegorice sunt intelligenda de uberrima beneficiorum præstitorum remuneratione, & non eo sensu, ac si Deo placeant reciproca temeritatis maleficia, quasi homini liceat mala malis compensare; hac enim non Christi est mandatum. Matth. 5, 79. neg. Pauli Rom. 12, 119. est instrucción: nec quasi Deus etiam injustè egerit cum illis, qui injustè egerunt, quia justa sunt iudicia Dei Psalm. 119, 139. sed ut ostendatur Dei benignitas.

12. Et confertam, ne quispiam possit conqueri; sed omnes fateri cogantur sufficere.

13. Ratione quantitatis: & concussum. Manet scilicet in eadem allegoria, ut credamus non ad speciem fore recompensationem, ut interdum fomenta & alia ita struuntur, ut si concutiantur, concidant, quo soliditatem ostendat finura compensationis.

Tan-

14. Tandem : & superabundantem & exundantem. Quasi superpondum aliquod. Ac si dicat ; si bene feceritis , bene habebitis ; hoc enim est eadem mensura ; exundantem autem dicit , quod cum semel benefeceritis , in omnibus modis bene sicut , idem etiam est in condemnatione.

15. Quid locum : dabunt in sinum vestrum . Notandum , inquit August. epist. 49. quest. 4. quod in sinum nobis dari dicuntur , quia ea , quae in sinu habemus , securi possidemus . Pulchre ergo hac remuneratio in sinum dari dicitur , et , cum quantâ securitate possidenda , quantaq; caritate retinenda sit , ostendatur . Quin idem de spiritu & anima , cap. 65. inquit : mensuram bonam dabit in sinus vestros : consertam in interiori homine , congettaram in exteriori , superfluentem in Deo ipso ; ibi enim cumulus felicitatis , ibi supereminens gloria , ibi superfluens beatitudo .

16. Et ratio ab æqualitate , quæ proponitur in sententia proverbiali : Eadem enim mensura , quâ metimini , metientur vobis alii . Hoc est , quod feceritis aliis , seu bene , seu male , idem ipsi parem eventum tandem . Gab aliis expediteris , quâ mente , manu , lingua aguntur , quia secundum opera singulorum reddet .

126

reddet Deis, ait Gloss. Unde jus talionis à
Deo prescriptum est Deuter. 19, 19. per quo
enim quis peccat, per eadem puniatur Sap. II,
17. qui spoliat spoliabitur Es. 33, 1. qui sanguinem
fundit, ejus sanguis effunditur Gen. 9, 6.
captivans captivatur Apoc. 13, 10. Exempla
sunt Pharaonis Exod. I, 22. Adonibeseci Jud.
I, 12. Achabi I. Reg. I, 13. Hinc inquit Basilius
in fin. Psalm. 61. tribulasti fratrem? expecta
æquilibrium. Rapuisti bona inferiorum? pu-
gnis & calicis impetuisti pauperes, pudefecisti
conviciis, calumniatus es, mentitus es con-
tra ipsum, pejerasti? opes ac possessiones orpha-
norum invasisti? viduas tribulasti? præsen-
tem voluptatem bonis in promissionibus repo-
sitis prætulisti? exspecta, horum retributiones;
qualia enim unusquisq; seminat, talia metet.
Caterum si quid boni à te perpetratum est, il-
lius quoque multiplices exspecta retributio-
nes. Ita jus talionis etiam in legibus 12. tabula-
rum probatur.

17. Tùm doctrinæ, à quâ si mala de-
bemus cavere, uti suadetur argumento
partim sumto ab hominibus, ut à cœco,
estque in foveam ejusdem præcipitatio v.
39. in quo modus: Dicebat autem illis si-
militudinem. Quibus libenter usus est, uti
con-

constat ex historia Evangelica, ut eò facilius intelligeretur.

18. Tùm in specie per interrogacionem duplicem, quarum prima habet vim negandi: num potest cœcus cœcum duce-re? Quà provocat ad ipsorum suffragia Testimonia, quod fieri non possit. Atq; ita omnino morbum difficultem ab animabus amovet dominus, radicem scilicet superbiae, habet Theoph. in cap. 6. Luc. nam qui semetipsum non considerat, & solum attendit res proximi, illasq; taxare vult, certè iste superbia capitur & obliviscitur sui. Taxatq; non cœcitatem corporalem, sed spiritualem. Ut discamus aliena vitia non temere esse judicanda, & insimul nocemus, non cœcos esse quarendos duecendo doctrina, sed prudentes; seducuntur enim alias a. Tim. 3, 13. sicut est iniquitas querentis, ita iniquitas Prophetæ erit Ezech. 14, 10.

19. Et altera vim habet affirmandi: nonne ambo in foveam cadent? Quasi dicat, vel maxime: & taxat Phariseos & scribas, qui clavem sibi scientiae & regni cœlorum insolenter sumebant, aliosq; superciliosè continebant; Atque ita arguit ab effectu consequente detimento so, cuius protasis tantum ponitur, apodosis vero intelligitur.

20. Et

128

20. Et ex relato, ubi discipuli & præceptoris comparatio v. 40, in quo negati-
vè; non est discipulus supra magistrum su-
um. Qualis enim discipulus, talis & magi-
ster esse solet, ita concludens. si ipse tanquam
magister neminem judico, neq; injurias insu-
riis, calumnias calumniis rependo, neq; id descipi-
puli mei facere debetis. Ut caveamus, ne in a-
lios nobis magisterium arrogemus, ipsi infirmi.
At icta pleriq; faciunt, qui dum metiri se ne-
sciunt, qua non didicerunt, docere concipi-
scunt. Non quasi omnem censuram improba-
ret, cum aliás arguendus sit, Levit. 19, 17. sed
improbat temerariam & nimis rigidam. Et
si præceptorum vitas discutere pergitimus, in-
quit Chrysost. 2. in 2. Tim. c. 8. ipsi do-
ctores nostros ordinare contendimus, perver-
soq; ordine naturali, quæ suprasunt, infra esse
volumus, ut superius pedes, inferius sit caput.

21. Et affirmativè: perfectus autem
omnis erit, si sicut magister ipsius. ut iam
sciamus, non ex opinione judicandum, sed ex
collatione.

22. Et à ligno, cuius observatio versi-
41. in quo per communicationem & apo-
strophēn de fratre, quid autem vides festu-
cam in oculo fratris tui? Et quidē perfestu-
cam

13.01

cam minora & leviora delicta intelliguntur, ex imbecillitate commissa; est enim κάρφη surculus cuiusq; sati, juxta August. Oculi verò meminit, quia voluit Christus innuere famam preciositatem, simulq; conversationem & con-sociationem innuit, dum fratrem nominat.

23. De seipso: trabem autem, quæ in oculo proprio est, non animadvertis. Quæ sunt graviora & enormiora scelera; trabs enim in oculo grandis, habet Bernhardus de gradu humil. Superbia in mente est, quæ quā-dam corpulentiam sui vanâ non sanâ, turbida non solidâ oculum mentis obscurat, ita ut si eu-am occupaverit mentem, jam tu te videre, jam te talem, qualis es, non possis sentire. Unde Au-gust. ser. 212. cordis oculum festuca obscurat, trabs planè excæcat. Discamus igitur fugere curiosam temeritatem in aliis judicandis.

24. Et denique est propria generalis emendatio v. 42. In quo iterum per inter rogationem ab effectu disparato in genere quoad absurdum; aut quomodo potes di cere fratri tuo? De his loquitur, qui tantum minora peccata fratribus nō concedunt. Sunt, uti habet Hieronym. in Matth. culicem ex colantes & camelos deglutientes.

25. In specie ab objecto: frater sine,
K ejici-

130

ejiciam festucam, quæ in oculo tuo est. Hoc
est, emendato crimen illud leve, quod observo.

26. A subjecto: ipse in oculo tuo tra-
bem non vides. Quasi dicat, non aspiciens,
non considerans, aut inquirens.

27. Quoad mandatum, ubi minus:
hypocrita, ejice primum trabem ex oculo
tuo. Hic enim ordo est charitatis, ut quisq; à
seipso incipiat, & justus in principio est accu-
sator sui, Proverb. 18, 7. nam peccata non sunt
paria.

28. Et minus: tunc perspicies festu-
cam, quæ in oculo fratris tui. Itaq;, inquit
Ardens, fratrem si quem volumus reprehen-
dere, primò audiamus, ne similes ei sumus;
quòd si sumus, pariter ingemiscamus, & cum
pariter nobiscum emendari moneamus; quòd
si non sumus similes, quiatamen olim fuimus,
vel esse potuimus, ei condescendamus, & cum
non ex odio, sed ex misericordia arguamus.
Discamus itaq; nostras ipsorum cognoscere &
ejicere trabes, cœn monet Chrysost. homil. 42.
in cap. 18. Gen. ubi inquit: vis iudex esse?
cognosce te ipsum & tua delicta, nullus est
qui vetet; sic enim & peccata tua emendabis,
& nihil ex facto incommodaberis. Quòd si re-
lictis rebus tuis sedes ad iudicandum alios ma-
iores,

jores, te tibi ipsi colligere peccatorum sarcinas
non sentis: Omnis enim, habet Gregor. l. 3. c. 32.
de summ. bon. per quem necesse est alia vitia
corrigi. semetipsum debet intueri, ne dum alio-
rum culpas ulciscitur, ipse ulciscendi furore
superetur. In nos ergo animadvertis, &
alios non reprehendamus; multa enim in nobis
sunt, quæ in aliis vituperamus, ait Nilus Epi-
scop. dec. 4. neq; convenit, ut aliorum acerbus
quis sit judex, qui propria errata negligit, ha-
bet Isidor. Pelus. lib. lib. 4. epist. 25.



NOTE.

I.

Estote misericordes) Considera
valdè salutaria præscribi pro dilectio-
ne proximi; ut discas te non iri dilectum
à Deo, nisi diligas proximum.

II.

Date & dabitur vobis) Considera
non dari quicquam libenter à Deo,

K 2

nisi

132

*nisi nos dederimus; ut discamus dare quo
accipiamus.*

III.

Quid vides festucā? Considera ne
sis rigoros⁹ in alios; ut discas esse cu-
riosus in propriis erratis, quia non de alienis,
sed de propriis teneris reddere ratio-
nem in die judicii.



C A S U S.

An pœnæ capitales possint re-
laxari & condonari?

VIdetur: *Quia exercenda misericor-
dia, Luc. 6,30.*

2. Deus ipse condonavit blasphemie pœnam decies Israëlitico populo Nu-
mer. 24, 22. Davidi homicidii & adul-
terii 2. Reg. 12, 13. Achabo 2. Reg. 21, 27.
At principes vicarii Dei 4. Reg. 8, 22. Et
David fecit filio 2. Reg. 14, 1).

3. Ju-

3. Jura concedunt principem posse
ex accedente cause cognitione relaxatio-
nem pœnae dare l. 1. §. fin. ff. de quæstion.
l. 3. §. fin. de off. princ. l. 27. §. 31. ff. de
pœnis. Decian. tr. crim. l. 5. c. 35. n. 45.
Menoch. A. J. C. l. 1. q. 92.

4. Recess. Imperii etiam principibus
concedunt de anno 1526. §. Es soll sich
auch. Tiraquell. de pœn. in proœm.
n. 12. Heig. l. 2. quæst. 22. num. 7. Arni-
seus de jure Majestatis l. 3. c. 3. n. 7.

Contra l. si nec Rachæ dicendum,
fratri impunè; multò minus gravius de-
lictum erit condonandum, Matth. 6. 22.
Non delinques ad dextram, neq; ad sini-
stram Deut. 42. & 32. Et scriptura gra-
vissimas pœnas minatur, si impunè per-
mittantur peccata Lev. 20, 4.

2. Jura volunt, ut malefici punian-
tur l. 9. §. 5. ff. de publican. l. 51. ff. ad L.
Aquil. & l. 1. §. quorum alterum 4. ff.
ad SCt. Turpil. & l. 15. ff. ad munici-
palem.

3. Inferior non potest mutare, vob

K³ dero

134

derogare legem superioris c. cùm infe-
rior de major. & obedien. c. literas de
Restitut. spol. Farinac. prax. crim. li. 1.
quæst. 6. n. 15. Heig. part. 2. q. 24. n. 29.
Harprech. in tr. crim. ad §. 5. l. de ob-
lig. ex delict. n. 50.

4. Princeps non solutus legibus di-
vinis, arg. l. 8. ff. de cap. dimi. Vafq. il-
lustr. q. 26. n. 13. Est q̄ abominatio coram
Deo, absolvere impium Prov. 17, 15.

5. Philippus Rex Galliæ recordatus
Pfal. 106. de beatitudine eorum, qui faci-
unt justitiam omni tempore, gratiam,
quā semel reo capitalis criminis dederat,
statim revocavit Camer. oper. success.
lib. 1. c. 109.

Ad contraria: 1. Misericordia ex-
ercenda est, sed sine injustitia, quia dictum
est, non parcat oculus tuus Deuter. 19, 13.
ne subtrahas disciplinam Proverb. 23,
13. qui enim intempestivâ lenitate, vel sa-
pius quam necesse est, vel etiam semper
ignoscit, is planè illorum vitam perdit,
quorū audaciam ad facinora majora nu-
trit,

trit, & sibi ipsi æternam molestiarum pœnam subministrat.

Ad 2. Longè aliud de Deo, aliud de hominibus: hoc enim conditione utitur, si pœnitentiam egerint, uti fecerunt illi, qui allegati, Deut. 30. per totum. Jerem. 18, 7. Et aliud itidem in multitudine, ne pijs cum impijs affligantur, nocentes cum innocentibus Gen. 18, 24. Jon. ult.

Ad 3. Jura concedunt quidem, sed in iis, quæ in homines perpetrantur, nec habent pœnam divinitus constitutā, & legibus humanis ex naturali jure, quod immutabile, Inst. 5. fin. de J. N. G. & C. probatam; Nam in illis homo non debet contradicere: unde homicida Gen. 6, 6. l. 3. c. de Episc. aud. & maleficus Exod. 20, 18. Lev. 20, 15. puniendus. Vasq. par. lustr. libr. 1. cap. 27. n. 2. Covaruv. lib. 1. resolut. c. ult. n. 8.

I. I. 5. quor. ff ad S. Ct. Turpil. ait: facti quidē questionē esse in arbitrio judicantis, pœnae verò persecutionē non ejus voluntati mandari, sed legis autoritati reservari

Bor-

136

Bornit.de jur.Majesta.c.9. & Papinius non loquitur de pœna mitiganda, sed de tota vel auferenda, vel ubi nulla est, reponenda, quod judici non permittitur. ita vulneratus si. §. 2. ff. ad L. Aquil. Videatur Morla in emporio part. 1. tit. 1. quæst. 19. Bocerus de jurisdict. c. 5. n. 65. Vasquius q. 22. si verò ex legibus humanis tantum pœna constituta, unà & delinquens benè meritus de Republ. factumq; casu delictum, seu ex ignorantia his relaxari potest non tota, sed tanta l. Reg. 2, 26. August. epist. 53. ad Maced. Decian. l. 3. cap. 35. n. 48.

Ad 4. Eadem est ratio in iis, in quibus licita vel indulgentia vel mutatio; tūm etiam principibus, quibus regalia majora competunt. Videantur Petreus in thes. controvers. conclus. crim. 228. Meisn. in tractat. de LL. l. 4. sect. 1. q. 23. Gebhard. de prin. jur. conclus. 5. n. 6.

Bachovius in notis ad Trecut.

volum. 2. disp. 30.

thes. 3.

Abstergere soles maculas ceu i spongia fœ-

A das;

Sic soles & noxas emaculare Deus.

Ergo fit facilis misereri quisquis alius,

Christus ait, pater ut vester & esse solet.

Judicet & nullum temere id ipsum nec damnet!

Sentiet: at veniam det, data rursus erit.

Dadabitur mensura, referta, superflua rursus.

Qualem tu? dabitur talis & illa Tibi.

Hinc simili monstrat: qui cæcum ducere cæcum

Qui? nequit: in focuā prorsus uterq; cadet.

Discipulus sanè supra nequit esse magistrum:

Perfectus, quando talis, ut ille, cluit.

Quid tu? festucamne vides in lumine fratris?

Et non in proprio credis adesse trabem?

Dicere nume potes? festucam tollere frater,

Ex oculo, sine me, tento, voloq; tuo.

Cosce trabē prius ejice! post & hypocrita tenta

Festucam fratris tollere forte tui.

Nam festuca trabem, festucam tollere verò

Trabs nequit, illa videt, cernit at ista nibil.

Pluribus absterget Schwemlerus pergit &
istud!

Ne Schwemlerus erit spongia grata Dei.

testatur

Gueinzius,

Gleich wie der fröliche Gott sehr kostfren allerwege
Geuse auf der schwangeren Lüfft den angeneh-
men Regen/

Wie er das galdne rund/ das an dem Himmel gleise
Den frönen/ und zugleich den bösen/scheinen heist.
So soll man gutes thun des Lebens Mitgenossen/
Es soh die Liebe seyn den Feinden unverschlossen/
Und solches angemerck/daben man zeige frey
Dass jedem gutes thun der Christen folge sch.
Dis will mein Schwemler auch aus Gottes Wort
verfechten/

Auch nach dem Vspian aus Bürgerlichen Rechten/
Und wie es billig heilt der kluge Stagiric
Vornemlich wie es Gott vor gut und recht ansieht.
Den Schwemler wiederumb wird Gottes Hulde
lieben

Wie er Barmherzigkeit am Nächsten zu verluben/
Erweiset: Gott verleih/ das Er in höchstem flor
In groser Wissenschaft und Künsten schwim
empor!

Auf begehr en satte dieses auf

Melchior Georg von Schwarzenberg
der großen Schulen zu Hall Mitherr

Omnibus in rebus primordia vera salutis
Fas ut queramus. Pagina sacra jubet.
Hinc mare scripture Schuveler tranando re-
Atq; sinus eius pandere totu amat. (mulcat
Gratulor ex animo divino Numinis tranes
Heresium Syllas schismaticosq; locos.
Perge innum studium doctis celebrare lacertis!
Et decus Aonidum larga bracea foret.
In simul ipse Deus semper tua dirigat ausa,
Ut sic conatu divite navis eat.

David Schellhammer/Hanib.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle
003 808 483

3



VÖ 17

EV

CH R 15
H 33 C



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF BRISTOL
VITIARUM
GELICARUM
sitio XXXV.
PRÆSIDE
ANNO GUEINZIO
nasii Hallensis
Rectore
eſpondente
SCHWEMLERO;
rimmā Myſo.
IV. post Trinitatis.
R. cl. Ic. III.
LIS SAXONUM
erum Melchieris Oct.
Schlegelij

